Quelle: https://manuscripta.at/?ID=468
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

dicit atque difficile. sua interpretatio-
ne dissoluant. et intelligentie
uiam prebeant. omniaque tollant de me-
dio scandala. ut populus domini absque ullo
impedimento quod legit intellig-
at. et in dei timore proficiat. De hu-
ius et iohannes baptista dicebat. Parate
uias domini. rectas facite semitas dei
nostri. Ubi nos posuimus ex persona dei et
dicam. lxx. posuerunt. et dicent. In ui-
delicet qui possidebit terram et heredi-
tate consequentur montem sanctum dei. nec
erunt propria salute contenti. sed etiam
ceteros ad docendum populos uocabunt.
Symmachus hunc locum ita interpretatus
est. Qui autem in me confidit posside-
bit terram. et hereditate consequetur
montem sanctum meum. et dicet. rectam faci-
te uiam et reliqua. eo quod ipse qui ter-
ram montemque possederit ceteros instru-
at. ut uiam domino parent. ¶ Quia hec
dicit excelsus et sublimis habita-
tor eternitatis. et sanctum nomen eius
in excelso et in sancto habitans. et cum
contrito et humili spiritu. ut uiuificet
spiritum humilium. et uiuificet cor con-
tritorum. Lxx. Hec dicit excelsus in
excelsis habitans in eternum sanctus et in
sanctis nomen illi. Ego excelsus et in
sanctis requiescens. et pusillanimis dans
patientiam. et uitam his qui corde con-
triti sunt. Cepat sermo propheticus contra
populum iudeorum quorum magistros appel-
lauit speculatores cecos. et canes
mutos. et pastores ignorantes intel-
ligentiam. et filios iniquos. et semen
adulterorum atque meretricis. postquam ue-
nit ad ierusalem cui exprobrat fornicati-
onem eius eo quod dilatauerit cubile
amatoribus suis. et susceperit eos ma-
nu apta. et ornauerit se cunctis
ydolis. et miserit legatos procul. ut pe-
regrinis quoque amatoribus frueretur. Que
increpatione finita. uenit ad eos qui
confidunt in domino. et quibus terram mon-
temque promiserat possidendum. et quorum re-
uersioni iter iusserat parari. haud du-
bium quin ab apostolis ad quorum predicationem
de utroque populo crediderunt. Israhel a laudibus
dei incipit. et que de reditu populi sui
pollicitus sit sequenti sermone testatur.
Hec enim dicit dominus excelsus atque
sublimis qui habitat in excelsis. et
sanctus in sanctis. non loco sed merito eorum in quibus
habitat. quorum unus dicit in psalmo. Ex-
altabo te domine quoniam suscepisti me. Et
iterum. Exaltare qui iudicas terram. non quo
deus humanis sermonibus eleuetur. sed iux-
ta illud quod alibi dicitur. dominus factus est michi
in salutem. etiam humilibus excelsus fiat.
qui superbis resistit et humilibus dat gratiam
ut eos eleuet et habitet in excelsis.
Excelsus enim dominus. et humilia prospi-
cit. Et in euangelio angeli clamitant. Gloria
in excelsis deo. et super terram pax. Et rur-
sum in psalmis. Laudate dominum de celis.
laudate eum in excelsis. Et non solum ex-
celsus habitat in excelsis. sed et sanctus in
sanctis. qui dicit in alio loco. Sancti estote.
quoniam ego sanctus sum. Et quomodo in peruersam
animam non ingredietur sapientia. neque ha-
bitat in corpore subdito peccatis. sic
sanctus in sanctis habitat. Et ubicumque sor-
des fuerint. non potest habitare mun-